

repleri et administrari; mediae quoque ordinariae Tricesimae relaxationem, hactenus usitatam et in solutionem Militis Banalis proportionaliter redundantem; benigne continuari curabit.

Eductio Militis Germani ex Arce Varasdiensi occasione dictae Commissionis Varasdiensis effectuetur.

A r t i c u l u s 74.

Ac ut tandem crebrae Regni Constitutiones et Articuli, de Eductione Militis Germani ex Arce Varasdiensi, loco videlicet Sedis Judicariae ejusdemque Comitatus conditio, totque demissae Regnicularum et Familiae Erdödianae supplicationes, suum finem et effectum sortiantur; dignum censem et supplicant suae Majestati Status et Ordines; ut medio suprafatorum Commissariorum Varasdinum deputatorum, sine ulteriori revisione et dilatione, iidem Articuli in effectum deducantur.

Summae ad aedificationem Berkisevina ordinatae effectuatio ad Cameram Ungaricam delegatur.

A r t i c u l u s 75.

Articuli etiam; de Summa ad aedificationem Praesidii Berkisevina ordinata; renovantur: Quorum optata et finalis effectuatio (accidente etiam benigno suae Majestatis assensu) Camerae Ungaricae delegatur.

De modo Rebelles Rusticos, ad Arces Sziszek et Novigrad spectantes; ad obedientiam et subjectionem compellendi.

A r t i c u l u s 76.

Periculoso exemplo factum esse et defacto vigere intellexerunt Regnicolae; Colonos et subditos, tam Venerabilis Capituli Ecclesiae Zagrabiensis, ad Arcem ejusdem Sziszeg, quam vero Domini Comitis Emerici Erdödy, Possavianos, ad Arcem ejusdem Novigrad, in Comitatu Zagrabiensi existentem habitam pertinentes, adversus suos Dominos Terrestres tumultuarie et manu armata insurrexisse; omnemque subjectionem et obedientiam ipsis debitam excussisse: Operas Colonicales et redditus omnes denegasse: Dominorumque suorum obsidiones, aliaque enormia scelera, in quavis fideles personas perpetrasse: Eamque Rebellionem, etiamnum in suorum Dominorum Terrestrium damnum et Patriae illius perniciem continuare; nec ullis placidis mediis, hactenus sopiri potuisse:

§. 1. Quocirca ad praecavendas Rusticorum, contra Dominos suos Terrestres Insurrectiones, Statuitur; ut Dominus Comes Banus illius Regni et Confiniorum Sclavonicorum et Croaticorum Generales praetactos Rebelles, veluti manifestarum seditionum authores, publicaeque Pacis ac Tranquillitatis Turbatores, statim post praesentem Diaetam, sine defectu et disputatione, auxilio Brachii Regalis coercere; praescriptamque rebellionem omnimode extinguere; omniaque